



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

De Aetate Et Qualitate, & ordine præficiendorum. Titvlvs VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)

cant, interdum committere negligunt vel conferre in-
 tea tempus in Lateranen. a concilio constitutum: diece-
 cesani locorum in non exemptis, sua, in exemptis vero
 Apostolica auctoritate negligentiam super hoc supple-
 ant eorundem. Prioratus, ecclesias, administrationes
 & beneficia hujusmodi, illa b videlicet, quae consueve-
 runt per seculares clericos gubernari, secularibus clericis
 cunctis: alia e vero, quae religiosis duntaxat committi sunt so-
 lita vel conferri, religiosis monasteriorum, quorum pra-
 lati hujusmodi negligentiam fuerint, conferendo. Eadem
 quoque auctoritate diecesani suffulti nullo modo per-
 mittant, quod iidem praleti prioratus, ecclesias, admini-
 strationes, aut beneficia hujusmodi applicent mensis su-
 is: pensiones sive novas eis imponant, aut veteres augeant,
 sive, quod ipsis de novo impositae, sive auctae solvantur.
 Praemissa vero de prioratibus, ecclesiis, administrationi-
 bus, & beneficiis intelligimus, quae non sunt de mensa
 praetorum ipsorum, sed speciales priores, administra-
 tores seu rectores consueverunt habere: licet priores seu
 administratores hujusmodi liberè possint ad claustrum
 (cum oportuerit) revocari. In quibus etiam constitutio-
 nem Bonifac. Pap. octavi praedecess. nostri, bona benefi-
 ciorum vacantium occupari à praetis vel aliis prohi-
 bentem, ac nihilominus in prioratibus hujusmodi & ec-
 clesiis illud Bonifacii ejusdem statutum, quod religiosum
 quemcumque pluribus praesse prohibet prioratibus, aut
 ecclesiis curam animarum habentibus (etiam si cura ipsa
 non per eum, sed per alium habeant exerceri) locum si-
 bi censuimus vindicare: licet etiam eisdem prioratibus
 cura non imminet supradicta.

DE AETATE ET QUALITA-
 te, & ordine praeficiendo-
 rum.

TITVLVS VI.

CAP. I.

*Diecesani seruare debent, & à suis subditis seruari facere jura,
 loquentia de qualitate personarum praeficiendarum ecclesie. Ioann.
 Andreas.*

Clemens V. In Concilio Viennensi.

Cum d ecclesie, quibus praeficiantur personae
 minus idoneae scientia, moribus vel aetate, gra-
 uia propter hoc (ut docet experientia) nonnun-
 quam perferant in spiritualibus & temporalibus detri-
 menta: Nos volentes per locorum diecesanos, quibus
 ratione officii hoc competit praecipue, super hoc diligen-
 tius praecaveri: eis districte injungimus, ut ipsi statuta
 canonica, quae super praeficiendis personis in hujusmodi
 ecclesiis hactenus emanatum, diligentius per seipso ob-
 seruent, & faciant à suis subditis inuolabiliter obser-
 vari: si divinam offensam, & sedis Apostolicae debitam
 vitare voluerint ulionem.

CAP. II.

*In capitulo cathedrali ecclesia vel collegiata vocem non habet,
 qui non est Subdiaconus. Habens beneficium, cui annexus est or-
 do, post annum, nisi prius (impedimento cessante) promoveatur ad
 alium in capitulo vocem non habet, donec fuerit ordinatus, & interim
 perdit distributionem dimidiam. Io. Andr.*

Idem.

Vt e ii, qui diuini in cathedralibus vel collegia-
 tis secularibus vel regularibus ecclesiis sunt man-

a Id est, Conc. Later. sub Alex. III. c. 8. b Vid. Concil. Trid.
 sess. 14. de reform. c. 6. c al. 111: illa vero, &c. d Vid. Conc. Trid.
 sess. 24. de reform. c. 12. e Vid. Conc. Trid. sess. 7. de reform. cap. 12.
 & sess. 24. de reform. c. 12.

cipati officii, vel mancipabuntur in posterum, ad susci-
 piendos sacros ordines propensius inducantur: statui-
 mus ut nullus de cetero in hujusmodi ecclesiis vocem
 in capitulo habeat (etiam si hoc sibi ab aliis liberè con-
 cedatur) nisi saltem in Subdiaconatus ordine fuerit con-
 stitutus. Illi vero, qui dignitates, personatus, officia, vel
 praebendas, quibus certi ordines sunt annexi, pacifice
 nunc obtinent in eisdem ecclesiis, vel obtinuerint in fu-
 turum, nisi (iusto impedimento cessante) ad hujusmodi
 ordines se promoveri fecerint intra annum, extunc do-
 nec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in capi-
 tulo habeant earundem. Ipsisque distributionum, quae
 dantur iis, qui certis horis interfunt, pars dimidia sub-
 trahatur: non obstantibus quibuslibet consuetudinibus
 vel statutis. Praeterea aliis, quae contra tales promoveri ad
 ordines recusantes statuuntur in iure, nihilominus in
 suo robore permanisuris.

CAP. III.

*In xviii. anno ad Subdiaconatum: in xx. ad Diaconatum:
 mxxv. ad Presbyteratum potest quis libere promoveri. hoc dicit
 Ioann. Andr.*

Idem.

Generalem ecclesiae observantiam volentes antiquis
 iuribus in hac parte praeferi, decernimus, ut (alio
 non obstante impedimento a canonico) possit quis libere
 in decimo octavo ad Subdiaconatus, in vigesimo ad
 Diaconatus, & in vigesimo quinto aetatis suae anno, ad
 Presbyteratus ordines promoveri.

DE OFFICIO VI-
 cari.

TITVLVS VII.

CAP. I.

*Iura loquentia de ecclesie curati, locum habens, quo ad tria, in vi-
 cariu perpetuo ecclesiarum parochialium. Ioann. Andr.*

Clemens V. In Concilio Viennensi.

Quod de ecclesiis curam animarum habentibus
 per receptionem altarum similium amittendis,
 ac de ipsarum rectoribus promovendis ad sacer-
 dotium, & de eorum aetate, à jure statuta noscuntur, in
 perpetuis b ecclesiarum parochialium vicariis & assump-
 ptis ad eas, volumus observari.

DE OFFICIO ET POTE-
 state iudicis dele-
 gati.

TITVLVS VIII.

CAP. I.

*Iudex ad receptionem testium in civili, & executor ad providen-
 dum certa persona, cognitione praemissa, à Papa deputati, licite
 subdelegant.*

Clemens V. In Concilio Viennensi.

Iudices super receptione testium in causa civili: Nec
 non executores ad providendum aliquibus, si per
 inquisitionem solentem eos esse vitae laudabilis &
 conversationis honestae repererint, à sede A-
 postolica deputati, aliis possint
 committere licite vi-
 ces suas.

a Distio, impedimento, deest in antiquioribus exemplaribus.
 b De vicariis perpetuis, vide multa per Felinum in cap. G. perpe-
 tuus. extra. de sub. instr.

